UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 238. Hic est Rex Iudæorum. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Visual Library

xum, etiam omnium Gentium linguis fontalibus à Pilato Ieſus Chriſtus in cruce eſt promulgatus & prædicatus.

ANima mea titulos, & magnifacis titulos Inuictiſſimi, Sereniſſimi, Potentiſſimi, Illuſtriſſimi, Nobiliſſimi. Item Sanctiſſimi, Eminentiſſimi Reuerendiſſimi &c. Sed nullus horum nec omnes iſti habent vim, quam iſte habet: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Iſte dæmones fugat, Infernum terretur, mortem vincit, iſte vt amuletum ſacrum adhibetur Chriſtianis, cum dicunt. *Titulus Ieſu triumphalis defendat nos ab omnibus malis.*

§. 238. *Hic eſt Rex Iudæorum.* v. 38.

Licet homo Ethnicus eſſet Pilatus, imo iam paulo ante iniquiſſime egiſſet donando Iudæorum voluntati Ieſum, hunc tamen titulum ex S. Spiritus inſtinctu, ad ignominiam quidem & dedecus Iudæorum gloriam vero & triumphum Chriſti degeſſit. 1. vt iniquitatis ſuæ maculam abſtergeret vel potius velaret, ſpecie benefacti, vti qui Iudæos Regem recuſantes audiſſet, & ab ipſis regem amouiſſet, quem noluiſſent pati. 2. vt Chriſto aliquo modo ſatisfaceret pro iniurijs, quem contra Iudæorum voluntatem regem declaraſſet, & ſic ei ſaltem hoc ſolatij daret quod ſub titulo regio moreretur. & ideo etiam Iudæi hanc inſcriptionem valde impugnarunt. Sed irrito conatu. Optabant illi, vt ſcriberetur, *quia ipſe dixit ſe eſſe regem* ſed Pilatus contra aiebat. *Hic eſt rex Iudæorum*, an autem ita diſerte quoque ſcripſerit, *per verbum Eſt* ſignanter adiunctum, nemo ex ijs qui titulum crucis Romæ olim viderunt, aſſeruit. S. igitur Lucas ſenſum Pilati aſſertiuum deſcripſerit, etſi verba ipſa ad litteram non depinxit. Voluerunt illi corrumpere ſcripturam, aliter ſcribendo mox cum id non poſſent aliter exponendo. Sed Lucas præuenit eorum malitiam, ſenſum Pilati poſuit, ne Iudæus poſſet contra Chriſtianum nugari. Valet verbum Iudæi longe abſentis, certe plus valebit ſcriptura Lucæ, tunc præſentis.

DOmine, omnia bene feciſti in ſapientia tua, in pondere, numero, & menſura, non poteſt eis aliquid addere homo, ſed nec demere ſine tua authoritate. Benedictus es in throno gloriæ tuæ. agnoſco Domine regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & Dominationem in omni generatione & generationem, nobis ita Chriſtiano noſtro nomini reſpondere, vt fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur, vt ad regnum tuum fœliciter peruenire valeamus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN